

Omelia III. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio  
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.6vb-9va)

Liber generationis ihesu christi, filii dauid, filii abraham.

Ecce tertia disputatio, et quae in proemiis sunt nondum dissoluimus. Non igitur inaniter dicebam, quod multum profundum habet intelligentiarum harum natura. Quae reliqua igitur sunt, hodie dicamus. Quid igitur est quod queritur nunc? Quare ioseph in genealogia ponitur, nichil in generatione conficiens. Et unam quidem causam iam diximus. Necessarium autem est, et alteram dicere, quae magis mistica et ineffabilior est illa. Quae igitur est haec? Nolebat iudeis esse manifestum in tempore pressure, quod ex uirgine natus esset christus. Sed ne turbemini ab inopinabili eius quod dicitur, non enim meus est sermo sed patrum nostrorum magnorum et insignium uirorum. Si enim multa obumbravit a principio filium hominis uocans seipsum, et neque eam quae ad patrem est equalitatem, ubique manifeste nobis reuelauit, quid miraris si et hoc etiam obumbravit, mirabile quidam et magnum dispensans? Et quod mirabile ait? Saluari uirginem, et a suspicione liberari mala. Si enim hoc a principio iudeis foret cognitum, interfecissent uirginem, malignantes super id quod dicebatur, et adulterii eam condemnassent. Si enim super alia de quibus multociens exempla habebant in ueteri testamento manifeste non uerecundabantur, et enim cum demones expellebat demoniacum uocabant, et cum in sabbato curabat, deo contrarium esse estimabant, quamuis multociens et prius solum est sabbatum, quid non utique dicerent, si hoc dictum esset? Etenim habebant omne antea cooperans eis tempus, quod numquam quid tale attulerat. Si enim post tot signa adhuc eum ioseph uocabant filium, qualiter utique ante signa credidissent quod et ex uirgine erat? Propter hoc itaque et in genealogia ponitur, et desponsatur uirgini. Vbi enim ioseph et iustus existens et mirabilis uir multis indiguit ut susciperet quod natum est, et angelo, et ea quae per somnum est uisione, et eo quod a prophetis est testimonio, qualiter utique iudei peruersi existentes et corrupti, et aduersae ita ad ipsum habentes, hanc utique suscepissent opinionem? Valde enim eos turbasset hoc inopinabile et nouum, et quod numquam aliquid tale neque auditu susceperunt in progenitoribus contingens. Qui quidem enim semel credit quod dei filius est, neque de hoc dubitasset. Qui autem et erroneum et deo contrarium ipsum esse estimat, qualiter non utique ab hoc scandalizatus esset magis et ad illam directus esset suspicionem? Propterea neque apostoli confestim in principio hoc dicunt, sed de resurrectione quidem multa disputant et multociens, quoniam huius exempla erant in anterioribus temporibus, et si non talia. Quoniam autem ex uirgine natus est, non continue dicunt. Sed neque ipsa mater promulgare hoc ausa est. Vide denique et ad ipsum quid ait. Ecce ego et pater tuus querebamus te. Si enim hoc in suspensionem deductum esset, neque utique dauid estimatus esset filius. Si autem hoc non estimatum esset, multa utique inde nata essent et alia mala. Propterea neque angeli haec dicunt, nisi mariae soli et ioseph. Pastoribus autem aeuangelizantes quod factum est, non adhuc hoc addiderunt. Quare autem cum meminisset abraham et dixisset genuit ysaac, et ysaac iacob, et non memoratus esset fratris eius, cum ad iacob uenit, et iudae et fratrum eius meminit? Quidam igitur aiunt, propter malos mores esau, et aliorum priorum. Ego autem non hoc dicerem. Si enim hoc fuit, qualiter parum postea talium meminit mulierum? A contrariis enim hic gloria eius apparet. Non enim quia magnos habuit progenitores, sed quia paruos et humiles. Excelso enim gloria multa est quod postea humiliari ualde. Quare igitur non meminit? Quoniam commune nichil habebant illi, ad iudeorum genus.

Commented [CN1]: [fol.7ra]

Commented [CN2]: uerbi add. super lin.

Commented [CN3]: [fol.7rb]

Saraceni et agareni et hismahelitae, et arabii, et quicumque nati sunt ex progenitoribus illis. Propterea illos quidem siluit, **festinat** autem ad eius progenitores et plebis iudaicae. Ideo ait. Iacob autem genuit iudam et fratres eius. Hic enim iudeorum designatur genus. Iudas autem, genuit phares et zara, ex thamar. Quid facis o homo, hystoriae nos rememorans, iniquam mixtionem habentis. Et quid est hoc ait? Siquidem enim hominis diceremus genus nudi, decenter utique aliquis haec siluisset, etsi autem dei incarnati, non solum non silere sed et sollempniter ea enuntiare oportet, monstrantes eius affinitatem, et uirtutem. Propter haec enim uenit, non ut fugiat impropria nostra, sed ut ea destruat. Quemadmodum igitur non quoniam mortuus est sed quoniam et crucifixus est, magis ammiratur, quamuis ualde impropria sit haec res, sed quantum maxime impropria est tantum misericordem ipsum monstrat, ita et in generatione eius est dicere. Non quoniam carnem assumpsit et homo factus est ammirari ipsum iustum est solum, sed quoniam et tales cognatos dignatus est habere, nusquam nostris uerecundatus malis. Et hoc ex ipsis generationis predicabat proemiis, quod nullo uerecundatur nostrorum. Erudiens et nos per haec, numquam occultari inprogenitorum malicia, sed unum solum exquirere uirtutem. Qui enim talis est, et si allophylum habet progenitorem, etsi adulterum, etsi quodcumque aliud existentem, nichil impediri poterit. Si enim ipsum adulterum transmutatum, in nullo prior confundit uita, multo magis eum qui ex meretrice et adultura est uirtuosum existentem, in nullo progenitorum malicia confundere poterit. Non haec autem solum nos erudiens faciebat, sed et iudeorum diminuens elationem. Quoniam enim eam quae secundum animam uirtutem contempnentibus illi, abraham superius et inferius proferebant, estimantes habere **responsionem** progenitorum **uirtutem**, monstrat ex ipsis proemiis quod non in his gloriari oportet, sed in propriis directionibus. Post hoc et aliud approbat quod monstrat omnes obnoxios peccatis esse et progenitores ipsos. Patriarcha nempe ipsorum et **uniuocus**, non parum uidetur peccasse. Etenim instat thamar accusans eius fornicationem. Et dauid autem a fornicata muliere, salomonem genuit. Si autem a magnis lex non impleta est, multo magis a minoribus. Si autem non impleta est, omnes peccauerunt, et necessaria facta est christi presentia. Propterea et duodecim patriarcharum meminit, et hinc rursus ea quae ex progenitorum nobilitate est elationem auferens. Etenim multi horum, ex ancillis fuerunt nati mulieribus, sed tamen genitorum differentia, differentiam natis non intulit. Omnes enim similiter erant patriarchae, et tribuum principes. Hic enim est aecclesiae primatus, haec nostrae nobilitatis excellentia, quae ab antiquis temporibus typum accepit. Quare etsi seruus sis etsi liber, nichil tibi plus neque minus hinc est, sed unum est quod queritur, consilium et animae modus. Est autem cum his quae dicta sunt et aliud, propter quod et hystoriae meminit. Non enim simpliciter phares dicto, insertus est zara. Etenim uacaret et superfluum esset phares memorato ex quo christum erat genealogizaturus, et zara memorari rursus. Quare igitur meminit? Cum paritura esset eos thamar, pressura adueniente, extulit primus zara manum. Deinde obstetrix inspiciens hoc, ut notus esset primus, coccino manum ligauit. Vt autem ligatus est, contraxit puer manum. Et cum contraxisset, precessit phares, et tunc zara. Haec uidens obstetrix, ait. Quid incisa est propter te maceries? Vides mysteriorum enigmata? Non enim simpliciter haec nobis scripta sunt. Neque enim hystoria **dignum** erat addiscere quid umquam locuta est obstetrix, neque enarratione cognoscere quod manum premissit primus, qui secundus egressus est. Quod igitur est hoc enigma? Primum a denominatione pueri discimus, quod queritur. Phares enim diuisio est et incisio. Deinde ab eo quod contigit. Neque enim naturalis consequentiae fuit manum emittentem contrahere rursus ligatum. Neque enim **motus** erant rationalis haec, neque a naturali facta sunt consequentia. Cum precesserit quidem non manus, alterum precedere fortassis naturale est. Contrahere autem hanc, et alteri dare transitum, non adhuc secundum legem eorum qui pariuntur fuit, sed dei gratia presens erat pueris haec

Commented [CN4]: [fol.7va]

Commented [CN5]: uel excusationem *add. super lin.*

Commented [CN6]: [fol.7vb]

Commented [ND7]: a iuda iudeus *add. super lin.*

Commented [CN8]: [fol.8ra]

Commented [CN9]: uel motionis *add. super lin.*

dispensans, et imaginem nobis quam futurorum per eos subscribens. Quid igitur? Aiunt quidam eorum qui haec certissime scrutati sunt, quod duorum populorum sunt typus hii pueri. Deinde ut discas quod secundi populi urbanitas prefulsit prioris natiuitatem, manum extensam habens puer, non integrum seipsum monstrat, sed ipsam contrahit rursus. Et postquam integer excidit frater, tunc et ipse totus apparet. Quod et in utrisque populis factum est. Cum urbanitas enim aecclesiastica in abraham temporibus apparuisset, deinde in medio contracta esset, uenit iudaicus populus et legalis urbanitas. Et tunc integer apparuit nouus populus, cum suis legibus. Ideoque obstetrix ait. Quid incisa est propter te maceries? Quoniam urbanitatis libertatem ingrediens lex incidit. Etenim legem maceriem semper scriptura uocare assueta est, quemadmodum et propheta ait. Destruixisti maceriem eius, et uindemiant eam pertranseuntes uiam. Et maceriem ipsi circumposui. Et sapientissimus paulus, et cum medium parietem maceriei soluisset. **Alii** autem quid incisa est propter te maceries, de nouo aiunt dictum esse populo. Hic enim adueniens, legem dissoluit. Vides quod non paucorum neque paruorum gratia meminit uniuersae iudae hystoriae? Propter hoc et ruth et rahab meminit. Huius quidem **allophilae**, illius autem meretricis. Vt discas quoniam omnia uenit mala soluere nostra. Vt medicus enim, non ut iudex aduenit. Quemadmodum igitur fornicatrices assumpserunt mulieres hii, ita et deus naturam nostram fornicatam adaptauit sibi ipsi. Quod et prophetae ab antiquis temporibus predicunt in synagoga factum esse, sed illa quidem ingrata coniugi facta est. Aecclesia autem semel a paternalibus malis liberata, mansit sponsum amplectens. Vide ergo et quae in ruth facta sunt, cum sint similia nostris. Ipsa enim et allophila fuit, et in ultimam deducta est inopiam, sed tamen uidens eam boozh neque ob inopiam contempsit, neque ignobilitate abhominatus est, quemadmodum et christus aecclesiam suscipiens, et allophilam, et in inopia multa, magna ei communicauit bona. Sed quemadmodum ipsa nisi prius dimisisset patrem, et conuiciata esset domum, et genus, et patriam, et cognatos, non utique affinitate hac fortunata esset, ita et aecclesia paternales consuetudines cum dereliquisset, tunc concupiscibilis sponso facta est. Quod igitur et propheta ipsi loquens ait, obliuiscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum, hoc et ruth fecit. Ideoque mater facta est regum ut et aecclesia. Etenim ex hac est dauid. Propter hoc utique omnia confundens eos et suadens non magna sapere, et genealogiam composuit, et mulieres has in medium duxit. Etenim regem magnum ipsa per medios genuit, et non uerecundatur dauid in his. **Non** enim est neque ex uirtute neque a malicia progenitorum, esse studiosum uel malum, uel infamem, uel preclarum. Sed si oportet quid et inopinabile dicere ille fulget magis qui non a studiosis progenitoribus existens, factus est bonus.

**Nullus** igitur in his magna sapiat, sed excogitans dominatoris progenitores, inflationem euacuet, et in directionibus magnum sapiat, magis autem neque in his. Ita enim phariseus publicano factus est posterior. Si enim uis magnam monstrare tuam directionem, ne magnum sapias, et tunc hanc maiorem demonstrasti. Ne estimes aliquid fecisse, et omnia operatus es. Si enim cum peccatores simus, si estimauerimus hoc esse quod sumus, iusti efficimur ut et publicanus, quantomagis cum iusti existentes peccatores nosipsos esse estimauerimus? Si enim ex peccatoribus iustos facit humilitas, quamuis neque humilitas sit illa sed bona mens. Si igitur bona mens tantum potest in peccatoribus, humilitas in iustis quid non operabitur. Ne igitur iacturam inferas tuis laboribus, neque succidas sudores, neque inaniter curras, post infinitos agones omnem inaniens laborem. Etenim te magis sciuit tuas dominator directiones. Etsi calicem aquae frigidae dederis, neque hoc despicit. Etsi obolum proicias et ingenueris solum, cum multa bona mente suscipit omnia, et memoratur, et magnas eis **terminat** mercedes. Quare autem scrutaris tua, et fers nobis in medium semper? Ignoras quod si laudaueris teipsum non **adhuc** te deus laudabit, quemadmodum si miserum te dixeris, non **quiescet** te apud omnes laudare? Non enim uult tuos labores minorare.

**Commented [CN10]:** [fol.8rb]

**Commented [CN11]:** id est alienigene *add. super lin.*

**Commented [CN12]:** [fol.8va]

**Commented [CN13]:** Morale iii. de humilitate *notum in marg.*

**Commented [ND14]:** assignat *add. super lin.*

**Commented [ND15]:** amplius *add. super lin.*

**Commented [ND16]:** cessabit *add. super lin.*

Quid minorare dico? Omnia quidem igitur facit et negotiatur, ut et a paruis te coronet. Et circuit occasiones querens, per quas possit eruere a gehenna, quasi iuste. Propterea etsi undecima hora operaberis diei, integram mercedem tribuit. Etsi nullam habeas occasionem salutis ait, propter me facio ut non nomen meum contaminetur. Etsi ingemueris solum, etsi lacrimatus fueris, rapit haec omnia uelociter ipse, in occasionem tuae salutis. Ne igitur extollamur, sed dicamus nosmetipsos inutiles, ut efficiamur utiles. Siquidem enim dixeris te ipsum approbatum, factus es inutilis etsi approbatus fueris. Ideo necessarium est obliuisci directiones. Et qualiter possibile est hoc ait, quae scimus haec ignorare? Quid dicis? Offendens semper dominatorem, lasciuus et rides, et neque scis quod peccasti, obliuioni tradens omnia, directionum autem neque potes abicere memoriam? Et profecto forcior timor. Nos autem contrarium facimus per singulos dies offendentes, neque in mentem mittimus. Si autem paruus argentum inopi dederimus, superius et inferius hoc uertimus, quod ultimae est amentie, et maxima congregantis iactura. Stabilissimum enim erarium directionum est, obliuio directionum. Et quemadmodum uestimenta et aurum cum in foro quidem haec proposuerimus, multos attrahimus insidiatores, etsi autem recondiderimus domi et occultauerimus, instabilitate reponimus omnia, ita utique et directiones. Siquidem continue in memoriam feremus, irritamus dominatorem, inimicum armamus ad furtum uocamus. Si autem nullus sciuerit eas sed quem scire oportet solum, in stabilitate iacebant. Ne igitur reuoluas continue, ut non aliquis eas auferat. Quod et phariseus passus est, in lingua eas circumferens. Vnde et rapuit eas diabolus, et perfecto cum leticia earum meminebat, et omnia imponebat deo. Sed neque hoc suffecit ei. Non enim gratiarum actionis est impropere aliis, et amare honorari in multis, et insurgere delinquentibus. Si enim gratias agis deo, sufficiat tibi hoc solum, et ne proferas ea ad homines, neque condempnes proximum. Non enim est hoc gratiarum actio. Si enim uis discere gratiarum actionis sermones, audi tres pueros dicentes, peccauimus, inique egimus, iustus es domine in omnibus quae fecisti nobis, quoniam in uno iudicio omnia induxisti. Propria enim peccata confiteri, hoc est gratias agere deo confitentem. Quod monstrat decem milibus quidem existentem eum obnoxium, non expetitur autem dignam uindictam, hic maxime est qui gratias agit. Custodiamus igitur de nobis ipsis aliquid dicere. Hoc enim et apud homines odibiles, et apud deum abominabiles operatur. Propter hoc quanto utique magna direxerimus, tanto parua de nobis ipsis dicamus. Ita enim maximam fructificauimus gloriam, et apud homines et apud deum. Magis autem non gloriam solum apud deum, sed mercedem et retributionem magnam. Ne igitur expetas mercedem. Gratia confitere saluari, ut ipse deus debitorem se ipsum confiteatur, non directionum solum. Quando autem neque estimauerimus aliquid direxisse, et eius quod ita dispositi sumus, et magis quam ille sint directiones. Quare sequela directionum hoc est. Si enim hoc non aderit, neque ille uidebuntur magnae. Etenim et nos famulos habentes tunc maxime in eis complacemus, quando cum bona mente ministrantes, nichil estimant fecisse magnum. Quare si uis magnas tuas facere directiones, noli estimare eas esse magnas, et tunc erunt magne. Ita et centurio dixit. Non sum sufficiens, ut sub tectum meum intres. Propter hoc dignus factus est, et super omnes iudeos in admirationem ducebatur. Ita et paulus ait. Non sum sufficiens uocari apostolus. Propter hoc, primus omnium factus est. Ita et iohannes, non sum dignus soluere eius corrigiam calciamenti, propter hoc et amicus fuit sponsi. Et manum quam indignam dixit esse calciamenti, hanc christus supra caput attraxit suum. Ita et petrus dicebat. Egrede a me, quoniam peccator sum. Propterea fundamentum aeclesiae factus est. Nichil enim deo ita amicum est, ut cum ultimis se ipsum numerare. Hoc philosophiae uniuersae principium est. Qui enim humiliatus et contritus est, non uanam gloriam habebit, non irascetur, non inuidiam habebit aduersus proximum, non aliam aliquam assumet passionem. Non enim manum contritam, etsi milies tumultuabimur, in altum extollere poterimus. Si igitur et

**Commented [ND17]:** molitur *add. super lin.*

**Commented [CN18]:** [fol.8vb]

**Commented [ND19]:** id est iustitiarum *add. super lin.*

**Commented [ND20]:** est hinc *add. super lin.*

**Commented [ND21]:** id est iustum *add. super lin.*

**Commented [CN22]:** [fol.9ra]

**Commented [ND23]:** debitorem *add. super lin.*

**Commented [ND24]:** dicere non secundum utiles *add. super lin.*

**Commented [CN25]:** [fol.9rb]

**Commented [ND26]:** uilibus *add. super lin.*

animam ita contriuerimus, etsi decemmilium ipsam extulerint inflationum passiones, neque parum extolli poterit. Si enim pro uitae huius rebus aliquis lugens, omnes exterminat egritudines animae, multo magis qui pro peccatis hoc fecerit, assumet philosophiam. Et quis ita poterit contere suum cor ait? Audi dauid, qui propter hoc maxime effulsit, et uide eius animae contritionem. Post decemmilium enim **directiones**, et a patria et domo, et ab ipsa casurus uita, in ipso tempore calamitatis, militem uilem et abiectum uidens superuenientem illo tempore et iniuriantem, non solum non reiniuriatus est, sed et presidem quendam uolentem ipsum interimere, prohibuit dicens. Dimitte eum, quoniam dominus mandauit ei. Et rursus. Sacerdotibus deprecantibus simul secum arcam circumferre, non permisit. Sed quid ait in templo sedebo, etsi eruerit me ab his quae pre manibus sunt malis deus, uidebo decorem **eius**. Si autem dixerit michi nolui te, ecce ego, faciat michi quod beneplacitum est in conspectu eius. Quod autem in saule et semel et bis et multociens factum est, quam non demonstrat philosophiae superexcellentiam. Etenim ueterem superexcessit legem, et apostolicis propinquus factus est rebus. Propter hoc omnia sustinebat quae a domino erant, non defendens se in his quae fiebant, sed unum solum studens ubique suaderi et sequi eas quae ab ipso positae sunt leges. Et uidens post tot suas **directiones**, tyrannum, parricidam, fratris occisorem, conuiciatorem, **furentem**, pro ipso suum habentem regnum, neque ita scandalizabatur. Sed si deo haec uidentur ait me quidem expelli et errare, et fugere, illum autem esse in honore, sustineo et suscipio, et gratiam habeo de decemmilibus illius malis. Non ut multi inuerecundorum et superborum, neque minimum dirigentes eorum quae ab ipso directa sunt, si uiderint aliquos in prosperitate existentes, seipsos autem paruam sustinentes tristitiam, decemmilibus suas animas disperdunt blasphemis, sed non dauid talis, sed omnem demonstrabat mansuetudinem. Ideo dicebat deus. Inueni dauid filium gesse, uirum secundum cor meum. Talem et nos habemus animam, et quicquid utique patiemur feremus facile, et ante regnum hinc fructificabimus humilitatis ingressum. Discite enim ait a me quoniam mitis sum et humilis corde, et inuenietis requiem animabus uestris. Et igitur assumamus requiem et hic et ibi, cum multo studio omnium matrem bonorum, in nostris plantemus animabus. Ita enim et uitae huius pelagus sine procellis poterimus pertransire, et in tranquillum illum nauigare portum, gratiam et misericordia domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium in secula seculorum amen.

**Commented [ND27]:** id est uirtutes *add. super lin.*

**Commented [ND28]:** arte *add. super lin.*

**Commented [CN29]:** [fol.9va]